



Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinj Ordinis
Vetustissimi Amplissimique, Nostra, ac supera ætate
Immarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.C. Sancti Patris Benedicti. M.CXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

consuleret, nec contemnendum Ecclesiae fructum produceret. Ex his fuere: *Decades decem, Theologie Symbolice seu Hieroglyphice, Salmanticae typis mandatae anno 1593. Scriptae etiam Theologie item Symbolice, sepius alios iros*, quos tamen morte praeventus publicare non potuit. *Ex Chrysost. Henrig. Phanice, &c.*

*IESU CHRISTI ANNUS. M. D. C.
Sancti Patris Benedicti, M. C. XX.*

IUbilæo hoc anno, admirabili jubilo celos implet, felicissimo transitu suo, Miraculum Angeli hominis sanctissimæ memorie Abbas, & Fulienensis Congregationis Legumlator & Patriarcha Joannes Barrerius (de la morte B. Juanes de la Barriere) cum rigidissimo suo Instituto & sanctissimis filiis, tali vita præluxisset exemplo, quo non poterant non excitari atque accendi, ad tormenta quævis pro Crucifixo Amore suo subeunda, cuius gratia concitati viri fœminæque, quotidiano sane Martyrio spontaneo, carnis quasi propriæ oblii & sanguinis, fæse victimas mætarunt, & immolarunt, in quibus omnibus & vivens quotidie & moriens Barrerius, ad triumphos Martyrum, æternos hoc ipso anno, quarto Cal. Maij assumptus, Roma pretiosissimas attenuatissimi corporis exuvias depositus, insignibus miraculis & revelationibus, & in vita & à morte à Numinе illustratus, vir dum vivet & Regibus & summis Pontificibus summæ Admiracioni & Venerationi: *Cujus Angelicam conversationem, ait vita ejus scriptor, Vita puritatem, morum integratam, Religionem in Deum, humanitatem in proximos, in seipsum rigorem, admirandum potius quam imitandum, tota Europa miratur & veneratur.* Obiit ætatis 56. cuius sanctæ Reliquiæ per orbem sparsæ, cor quidem in Fulensi Monasterio, membra alia alibi religiose asservantur. *Ex Ludovico à S. Matathia, Carolo à S. Maria, Philippo Matabayla, Auberto Mireo, &c.* Sed de prole sacra viri sanctissimi deinceps sapientius pro immortali sæculi nostri, & seræ ætatis monumento.

*Angelica
fuit ejus
Vita.*

*V. Anna de
Villaruel
Mon.*

Claudit similiter & coronat superius sæculum fine vitæ sua beatissimo sanctæ memorie Monialis Numini dilectissima Domina Anna de Villaruel,

Cænobij Sanctæ Annae Abulensis in Hispania Profissa. Fuit hæc omni Virtutum genere cultissima, uti Christi decet sponsam, omni illarum circumambientia varietate; ceterum præter omnem mulierum morem & consuetudinem, sacri Regularis Silentij longè studiosissima; jurata autem tenerissimi corpusculi sui hostis, cum præter accuratissimam sanctissimæ Regulae nostræ obseruantiam, & consueta Religionis exercitia sacrumque rigorem, duris asperibus, iisque nudis pro lectulo uteretur. Singulis diebus vivifico Corporis Dominici Sacramento reficiebat; quo devotissime sumpto, in Ecclasiæ statim rapiebatur, cujus per omnia, Angelica verius quam humana converratio, uti omnes mirè afficiebat, sic ad Virtutem potenter excitatbat. Transiit, ut diximus, ad Regnum æternitatis felicissima hac sponsa Anno Christi 1600, cum continuum ad mortem usque silentium observasset, æternum deinceps pro Fratribus, & Sororibus ad Regem Régum loquatura, & pro nobis, quæ rogat omnia, persuasura. *Michael Vaquerus, Vita B. Marie Vela, &c.*

*Mors ejus-
dem felicis-
sima.*

*Ven. Marie
de Bellavil-
lare succes-
sus & co-
natus.*

Jn Gallijs usq; occasione anni Jubilæi sanctæ memorie Mariae nostra de Bellavillier efficacissime moyente Libello supplici interpellat Clementem VIII. Pont. Max. suos Reformationis conatus toties frustratos quæsta, & rogans, ut sibi speciale liceret Vilitatem deligere, quas ejus adeo sollicitas pro suis preces non sine multis præ gaudio fusis lachrymis Pontifex magno animi legit solatio, omnemque ei & opem promisit & Benedictionem Pontificiam largè est impertitus, confirmans ejusdem propositum, & arumnas piè consolatus. Nec exprimi fatus queunt difficultates & injuria, quas etiam post hæc impetrata sustinuit, pessimæ denuo noræ sacerdote Confessario in optimorum locum succedente, & multas jam sanctæ Antistite manus & animundantes, gravissimis in Mariam calumnijs, ab omni bono proposito & Religiōiore vita abducente, ita ut nemo absque horrore legat Sacerdotis adversus Reformationē cum perditissimis conspirationem, nemo satis robur animi & invictum S. Abram. patientiam admiraretur. Et *invictum
robur ani-
mæ patientiam admiraretur.* Et *mariginæ.*

sane immisissé hæc omnia, certè permisissé Optimum Numen in sponsam suam, & hæc ad exercitium patientiæ, & meritorum augendum cumulum, non aliter atque Jobo destinasse, dubium esse nemini debet; imo aliquoties veneno jam propinato, desperata, corona Martyrum jam certam, conservasse, ut deinceps majora patetur, & majora etiam præmia merebuntur. Maria sibi constitit semper, semper quieta, humilis, supplex afflgentibus, condonans in se peccantibus, deprecans pro Deum offendentibus, jucundissimum Deo facta spectaculum, Mulierculæ Benedictum & Jobum Redivivos, repræsentantis. *Ex Vita Ms. & monumentis Monast. Monis Martir.*

Sepe vene-
no propi-
nato mirè
servatur.

Ingenti hoc ipso tempore fructu laborant in Hispanijs nostri, florente in primis, imo novo semper fervore accensa Congregatione Vallisoletana & Montferrateni, ex qua innumeri quasi doctrina & sanctitate viri Illustrissimi prodire, quorum plurimi, summa Ordinis nostri gloria & Regnorum Hispania bono, in celeberrimis Universitatibus Complutensi, Salmanticensi & alijs Philosophiam Thologiamque publicè professi, exemplo juxta sanctioris vita, juventutem miris modis ad altiora accendere. Sed in Regulari maximè Cænobio, & præstantissima Benedictinorum Universitate S. MARIAE de Yrache, ingens nostrorum gloria, hoc ipso tempore præsidentibus, Reverendis Magistris

Fratribus Benedicto de Gacaza, & Emmanuel Angles, ejusdem Cænobij Abbatibus (&, qui perpetuus honor ejusdem Abbatis est) Universitatis Rectoribus. *Ex Antonio de Jepes & diversis rerum Hispan. Scriptoribus.*

Jpsò hoc etiam anno, inter præciuos Religionis, doctrinæ & generis præstantia ex Ordine nostro viros, in ijsdem Hispania Regnis, Orbe universo, Ipius sanctissimi Domini Nostrí Clementis VIII. ore & publico decreto celebratur P. M. Joannes de Castro noster, filius Ferdinandi de Castro Principis lectissimi Comitis de Lemos, Monachus S. Vincentii Salmanticensis, ob eximiam Virtutem, ad diversos in Congregatione Vallisoletana honores promotus, & hoc denique

Joannes
Princeps de
Castro
Mon. S.
Vincentij.

anno à prædicto Romano Pontifice, pro meritis, Archiepiscopus Tarentinus creatus, de cuius laudibus fusè citatus *Antonus de Jepes noster, tomo 7. cent. 7. Joan. Juvenis. lib. de Antiqu. Tarentinorum. Ferd. Ughellus, &c.*

Exsplendescit hoc ipso tempore meritis maximis, & splendoribus eximia Virtutis atque eruditioñis, Illustrissimus Placidus de Tosantes, Concionatorum, miraculum, Episcopus primum Guadixensis, deinde Zamorenis, Regis Catholici ad Summum Pontificem, pro Immaculata Deiparae Concepcion Legatus, ita ut in hac Virginum Virginis, uti jam olim, nostri etiam hodie laborare nunquam delinerent, etiam nonnulli, Numine & Numinis Matre probantibus, miraculis confignarent. *Ex diversis rerum Hispan. Script.* Fuit Monachus celeberrimi Monasterij nostri S. Æmiliani, vulgo de la Cogolla, & acerrime, uti verus Benedictæ Matris & Benedicti Patris filius, coram Pontifice & Cardinalibus Deiparae immaculatissimam Conceptionem propugnavit. *Ex Msto. Hispan. e Sancti Turiby communicato.*

E sacra Cisterciensi familia, celebrantur hoc tempore præcipue M. P. Petrus de Lorca, & Mag. P. Laurentius de Zamora, ille à Dionysio Cucho prolixè in Vita ejus operibus præfixa à summis Virtutibus & eruditioñe commendatus; hic, de quo jam supra, in omnibus suis mirificus. Petri sequentia opera celebrantur:

In omnes Drvi Thomie partes, erudita & luculenta Commentaria.

In Primam secundæ. Compluti Tomus I. in folio.

In Primam Secunde Compluti item. Tomus alter in fol.

De Fide, Spe & Charitate Madriti infolio Libri 3.

De Notis Ecclesiæ in folio ibidem Lib. I.

In tertiam partem Drvi Thomæ de Incarnatione Tomus I.

Jn præfatione ad Tomum de Incarnatione, multo plura ejus opera enumerantur. Laboravit idem, Veteri nostrorum confuetudine, in novis sacris Ordinibus demerendis, scriptisque insigni merito Apologeticum Tractatum doctissimum, contra eos, qui extinguere conabantur. Ordines aliquos noviter apud Hispanos exortos,

*Platina de
Tofanu.*

*Petrus de
Lorca.*

*Eius inge-
monientia.*

14.

*Propagand
Reforma-
tionem.*

R E D I V I V U S.

ut Augustinianos, Recollectos, Trinitarios, Discalceatos, Clericos Minores & Mercenarios Reformatos; quem supremo Confilio exhibuit, quo Ordines defendenter, & adversariorum conatus reprimere. Chrysost. Henr. Anz. Manrique.

I E S U C H R I S T I A N N U S . M . D C . I .
S a n c t i P a t r i s B e n e d i c t i . M . C . X X I .

E Vincit paulatim obstinationem. Montis Martyrum Monialium, non sine praesenti Deiparae ope, in viictissima Virgo nostra Maria de Bellavillier, ulciscente Numine injurias dilecta sua iliatas, & dante poenas horribiles Sacerdote illo, pacis turbatore, Reformationis hoste, tantae Abbatissae nequissimo calumniatore, & quidem inter calumniandus, mox cuncta mente, in rabiem acto, nec multo post miserere absque ratione & penitentia extinto. Sed & illa senior, quam sibi Abbatissam suis conformem moribus & vita impudicissima, contumacissima Moniales deitinaverant, morbo repte correpta, exerta horrendum, quæ toties impie Mariam nostram impetrerat, lingua, & ipsa miterabile omnibus rebellibus spectaculum facta, imbelli manibus tortionibus, & corporis totius agitationibus terrifics omniu percellit animos, donec immemor injuriarum omnium sancta advolat Abbatissæ, & ferventibus precibus pro hoste sollicita in omnem se modum veritatem miserare juvandæ? donec miserante Deo sibi reddira in oscula Mariæ tota lachrymabunda, & amplexus concedens, rogaret veniam, totam se ipsi permitteret, & ad omnem Reformationem fore Ducem promitteret, ultro fassa, sed ad terrificum Dei tribunal raptam, vidisse & audisse, quæ ipsa referre nullâ ratione posset. Et sanne Deipara & Bellovillariensis precibus donaram hanc animam esse, dubium nemini est; quam & Maria, uti antea in omnibus sibi reclamantem & adversantem habuit; ita deinceps ad omnia quæ vellet ultronæ, & promptissimam habuit, reliquis eo exemplo territis, & paulatim le accommodantibus, ita ut paulò post Monasterium illustrissimum, a Vita Regulari summe celebraretur.

In Hispania insigni vita effulget

sancitate sanctæ memorie Frater Didacus Donatus Monasterij Vallis Paradysi, qui ibidem longo tempore conservatus, admiranda sancta simplicitatis & humilitatis exempla reliquit; cui Deus inter orandum coelestia, arcana, & Divina Mysteria revelavit, & futurorum rerum eventus gratiosissime indicavit. Vir fuit in oculis suis humilis, & abjectus, sed in conspectu DEI, & hominum vere magnus, & diabolis Spiritibus tantopere formidans, ut solo ejus contuit territi, illico aufergerent, qui post purissimam vitam sanctam decedens morte, locum sepulture in Clauistro obtinuit, ubi per multos annos pernoctare consueverat, divinitus prævidens, illum tandem futurum locum sua exspectationis. Ex Mto. quodam Hispan. & Chrysost. Henriquez.

Ne autem ulli saeculo sanguinis gloriosissimi Martyrum nostrorum, preciosissima purpura deesset; primus felici exordio hujus saeculi initium consecravit & beavit, suumque generosum cruorem ad ornandum Sanctissimæ Matris Ecclesiam vestem, lubens libensq; impendit R. P. F. Marcus Barekworthus, alias Lambertus, in Anglia Martyrium pro Fide Catholica patens: qui post diurni carceris molestias, ex quo cum facile evadere potuerat, & alijs evadentibus, & ad hoc cum impellentibus tese conjunge; & maluit tamen constanter, ultimam mortis sententiam pro Christi gloria præstolari. Post novem itaque examina, quæ ad judicium tribunalia subiit, tandem vigesima septima Februarij dicto anno Londini Martyrio affectus, coronam monasticam, sibi a ipso die, quo coronandus Martyrio erat, & occisus fuit, tonderi curavit, habitum etiam Religionis (quem nimur publicè portare in Anglia non licet) reinduens, in eaque fide mori, & pro ea, protestatus est, quam Ordinis sui Monachi, primi omnium Anglis prædicantes. Ex Clemente Leynero, &c.

Nil tamenteri nostri sive recenti hoc, sive tot aliorum superiori saeculo suppicio, tanto serventius & Apostolatus Anglicani & Martyrij exarsere desiderio, quos inter admirabilis ille Pater Candidus noster Nucalensis Alceta in patriam reversus, ut Hyber-

Didacus
Donatus
Vall. Pa-
radysi.

Formidan-
dus Ca-
de-
moni.

V. Marcus
Barek-
worthus
Martyr.

Gaudens
mortem
subiit.

P. Can-
dus Nuca-
lensis nostri
seculi mi-
raculum.